



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Militia Sacra || Dvcvm Et Principvm || Brabantiaë,||**

**Molanus, Johannes**

**Antverpiae, [1592]**

De reliquis filiorum Clodovei sacris contra infideles bellis. Cap. III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38114**

fuiſſet ab exteris deuastata, Theodebertum filium suum in illas partes cum valido exercitu, ac magno armorum apparatu direxit. Qui interfecto Rege hostes nauali prælio superatos opprimit, omnemque rapinam terræ restituit. Idem refert Adonis etiam Chronologia, qui sub Rege Ludouico & Carolo simplici in Episcopatu sedit, vt ceteros scriptores, qui eiusdē rei testimoniū libris suis consignarūt, breuitatis gratia silentio præteream.

lib. 7. c. 2.

Addit autem Goropius, Origines Antuerpianas describens, hac victoria Austrasianum ad Antuerpiam potitum, anno quingentesimo decimo sexto, Marchionatum, hoc est, limitis præfecturam, Valoni primario Duci vnà cum sorore sua in matrimonium tradidisse, ne si qua rursus irruptio contingeret, à maioribus, quæ in Italiam cogitabat, abstraheretur. Et ex horum copula diuina stirps Caroli Magni pullulauit.

*De reliquis filiorum CLODOVEI sacris  
contra infideles bellis.*

C A P. I I I.

*Hi quatuor  
filij secundo  
loco in Frā-  
esa Christia-  
ni regnaue-  
runt.*

**C**REDO etiam ad sacram militiam referenda esse, quæ breuiter ex Sigeberti Chronicis subiiciam.

Anno 10. XXIV. Theodoricus Rex, repescens ab Ermenfrido Rege pactum, cum fratre Clothario insurgit in eum: eoq; post nimiam stragem suorum de bello fugato, &

non

non multo post mortuo, totam Thuringiam sibi subdunt. Captiuam inter alios Rade-gundem filiam Bertharij Regis, olim à fratre Ermenfrido peremti, Clotharius Rex suo sociavit matrimonio.

Anno 10. xxv. Almaricus Rex Visigothorum, cum vxorem suam Clotildem tractaret indignè, eo quod Arrianæ sectæ secum inferuire nollet, perimitur in Hispaniis, à fratre Clothildis Childeberto.

Anno 10. xxvi. Clotharius Rex cum fratre Childeberto, Augustodunum Burgundia urbem obsidens, cunctam fugato Gode-marò Burgundiam occupat.

Anno 10. xxx. Franci extorquent de manu Athalarici quidquid Galliarum auus eius Theodoricus Rex Italiae tenuerat.

Anno 10. xlii. Clotharius & Childebertus fratres, obsessa in Hispaniis Cæsaraugusta, ciuibus Deum adorantibus, & circumlata Vincentij martyris tunica, accepta ab eis pro munere ipsius martyris stola, redeunt, acquisita Hispaniæ parte maxima.

Anno 10. lvi. Clotharius Rex Fræcorum, rebelantes contra se Saxones, & auxiliâtes eis Thuringos graui pugna & excidio perdomuit.

*De bellis sacris filiorum Regis CLOTHARII.*

## CAP. IV.

CVM filij quatuor Clodouei annis quinquaginta regnassent, successit illis per

A 3

annos

*Hi nepotes  
quatuor Clodouei tertio  
loco in  
Fræcia Christiani regna-  
uerunt.*